

# COROLLARIA.

## I.

**C**ardiacorum nomine juxta recentiores ea intelligo medicamenta, quæ licet soli cordi proxime non inserviant; vires tamen ejus vel sustinent, vel augent.

## II.

Commode autem secundum divisionem CL. BOERHAAVE ad quatuor Classes reduci possunt: scilicet ad replentia, roborantia, moventia, & stimulantia, quorum usus, ac delectus non est promiscuus, sed sanum Medici judicium requirit.

## III.

Cardiaca replentia ea dicuntur medicamenta, quæ deficientes in corpore humores sanos, illisve quam proximos restituunt, quo sensu omne quoque nutrimentum Cardiaci titulo gaudet, tumque præcise indicantur, cum virium defectus adest, stipatus signis vaporum exinanitorum quibuscunque, id quod contingere solet, dum quis magnam humorum laudabilium copiam per diarrhæas, dysenterias, vomitus, choleras enormes amisisset: aut validam sanguinis jacturam per hæmorrhagias narium, uteri, hæmorrhoidum, vulneris &c. passus esset; ultimis enim in casibus, si ab imprudenti medicaastro stimulantia exhiberentur medicamina, residuus, qui adhuc in corpore circulatur sanguis, una cum anima exturbaretur.

## IV.

Duplici vero ex regno, vegetabili nempe, & animali peti debent, quorum electionem ipsa ægri temper-

pe-

peries, variæque in corpore prædominantes acrimoniæ determinant: etenim si acidum peccaverit, jura carniæ, ova sorbilia &c. optima erunt cardiaca repletia, contra si humores in naturam alcalinam vergant, lac animalium herbis pastorum, serum lactis, fructus horæi, & similia in acidum abeuntia, egregie tali munere fungentur.

V.

Atque istud pro aliis quoque casibus notandum venit; siquidem, ubi debilitas præcise a plethora, nimiaque sanguinis rarefactione orta fuerit, venæ sectio eandem tollit: si a liquidis nimium spissis nata sit, diluentia, & attenuantia conveniunt: si a tenuitate humorum, inspissantia: si a solidis admodum rigidis, emollientia, oleosa in- & externa: si denique a mucositate sanguinis, ut in Chloroticis puellis videre est, originem suam duxerit, purgantia primum aloetica, dein roborantia, motus, frictions prudenter adhibita, cardiaca sint oportet.

VI.

Roborantia passim ea audiunt medicamenta, quæ fibrosæ compagi requisitam elasticitatem conciliant: hæc alio etiam nomine vocantur adstringentia, quoniam degustata linguam contrahunt, & exsiccant: optime idcirco GALENUS inquit, gustus solius esse discernere, quid vim adstringentem habeat: vim enim purgantem, & emeticam lingua discernere haud possumus: quoniam multa sunt insipida, quæ tamen corpus turbant.

VII.

Adstringentium tota vis manet in parte fixa; unde nihil sperandum est a spiritibus, & aquis eorum destillatis: plurimum vero a decoctis, & extractis.

VIII.

## VIII.

Indicantur autem talia necessaria esse tum, quando debilitas non a *νεωαγσεια*, sed ab humoribus vapidis, & aquosis; a vasis flaccidis, ac inertibus nata fuerit: id quod pallor cum intumescencia partium a colluvie serosa, frigiditas, torpor, cutisque flacciditas docent.

## IX.

Adstringentia sæpe divina sunt remedia, si prudenter administrantur: quamvis etiam venena fieri possint, ni sua in actione sufficienter dignoscantur: quippe ab ignaro corpori ingesta, pylorum ita constringere valent, sicut nihil pene a se dimittat: & si adhuc bona fortuna canalem intestinorum subeant, magnam ibidem ad vasa lactea obdurationem faciunt, chylique impediunt resorptionem.

## X.

Lenta igitur, & suspensa manu porrigenda, atque sub usu eorundem frictions abdominis una instituendæ sunt, ut, quæ obstructionem fecerant, a loco, in quo impacta hæserunt, sensim removeantur.

## XI.

Præcipuam vero energiam in primas vias cum exerant, in *λειντεσια*, in diarrhæis, & dyssentetiis &c. a laxitate nimia oriundis, hæud raro miracula faciunt, dummodo Medicus sedulo animum advertat, utrum hæc mala non scirrho, cancrove (tunc enim pessime nocerent) natales suos debeant: ad secundas autem vias non nisi difficulter, & fractis utcunque viribus perveniunt: ideoque in magnis hæmorrhagiis narium, uteri, vulneris, in hæmoptoe, &c. ubi subito auxilio opus est, interne adsumpta, vix aliquid boni præstant,

stant, tametsi ligaturis artuum institutis, datis prudenter opiatis, ægro in aere mōderato ad quietem reposito, iisdem parva, & sæpius repetita dosi uti possimus.

XII.

Cardiaca moventia sunt illa, quæ copiam, & motum spirituum augment: talia optima censentur exhalationes animalium sanorum, juniorum, vegetorumque copiose in corpus debile, ex defectu liquidi subtilissimi, derivatæ: lac ex ipsis uberibus haustum: jura carniū in machina papiniana, aut cum sic elixa facile empyreuma contrahant, in vasis altis Chemicis, operculo bene tectis, parata, ut subtilissimum illud, quod grato odore ita reficit, avolare non queat; vapores odorati, blandi, naribus attracti: vina fragrantia, limpida, suavia, satis volatilia, & mobilia: hæc nimirum apta sunt, quæ deficientem in sanguine pro secretionem spirituum materiem reparent, & hominem ab hac causa debilem refocillent.

XIII.

Defectum illum spirituum peccare, hincque tertie Classis Cardiaca indicari novimus, quando ingens debilitas corporis simul, & mentis adest, una cum signis humorum crassiorum per reliqua vasa: qui enim debiles sunt, quod per *νενεαγγειαν* multum humorum laudabilium perdiderint, mox ubi refici incipiunt per replentia, agiles sunt, seque movere volunt: & qui ob humores vapidos, aquosos adstringentibus indigent pharmacis, saltem ubi a motu abstinerint, sederintque, fermocinantur, rident, mente constant, nihilque, donec se moverint, illis deesse videretur: hi vero motu nondum suscepto, languent vehementer, co-

M

ma-

matosi sunt, & ingentem cum animi, tum partium corporearum imbecillitatem perferunt.

## XIV.

Stimulantium tandem nomine ea veniunt remedia, quæ fibræ motricis oscillatorios motus augent: unde pulcherrimos effectus præstant, ubi humoribus blandis existentibus, vasisque liquido transmittendo aptis, sola inertia fibrarum causa fuerit, quo minus circulatio rite peragatur, suaque Mortales partium firmitudine perfruuntur.

## XV.

Interim summa hic quoque circumspectione opus est: enimvero, si aut *κενειαγγεια*, aut nimia sanguinis mucositas, aut denique inopia spirituum, una cum spissis liquidis, tragædiam ludant: nonne primo in casu stimulantia sanguinem ad circulum obeundum adhuc necessarium expellendo, mortem accelerarent? in altero vel efficerent nihil, vel humores mucosos in vasa minora impellerent, sicque infarctus viscerum pessimos generarent: in tertio demum casu vasa stimulando, crassa simul liquida in minima ducerent, obstructions, inflammationesque producerent, procul dubio lethales. Ea de causa etiam debilibus cum materia hypochondriacis, & melancholicis non prosunt.

## XVI.

Malus præterea ille Magnatum mos est, quod in statu sano ejusmodi stimulantibus quotidie utantur: longa enim assuetudine tum fieri solet, ut si morbi genius modo talia requirat medicamenta, ab iisdem haud afficiantur amplius, nullumque levamen percipiant, quæ, nisi frequentissimo usu illis assuevis-  
sent,

sent, totum subinde morbum sustulissent, quo nuuc  
torquentur miseri, chronico tandem fato obituri.

XVII.

Quisque proinde salutis cupidus, & vitæ suæ  
amans, prudentiam, & summam in adsumendis medi-  
camentis cautelam addiscat, necessum est, neque suus  
statim sit medicus, qui promiscue cuncta sine delectu,  
sine judicio ingerat; neque vanis, neu dicam temera-  
riis, & stultis muliercularum, empyricorum, adepto-  
rum, *aliorumve (ut barbare loquar) universalistarum*  
*consiliis fidem habeat*, qui, quod uni profuisse visum  
est, aliis etiam, audito solum morbi nomine, absque  
discrimine commendant: sciendum est enim, quem-  
admodum non unus omnium est morbus, non ea-  
dem natura, idemque temperamentum, sic quoque  
testante CELSO non eadem omnibus etiam  
*similibus in casibus opitulari.*



